



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De duritia cordis, quam peccator incurrit. Cap. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

& quietem, & alia pretiosissima priuilegia filiorum Dei. Sperne iam consilia negotiatorum mundi, qui lacerant viscera tua, & sequere vnicum, & saluberrimum consilium meum: & videbis quomodo ego dissipabo omnes machinas inimicorum tuorum, & creabo in te spiritum nouum, quo renouetur, sicut aquilę iuuentus tua, vt fruaris amabilissima pace, & securitate mea.

*De duritia cordis, quam peccator incurrit.*

## CAP. XI.

**I**ustus ego sum, & iustitiã dilexi: æquitatem vidit vultus meus. Peccator repulit me, & repugnauit innumerabilibus inspirationibus meis, quibus ego volebã emollire cor eius. Et idcirco ego repello eum, & prohibeo pluuiam meam ne stillet super illum. Ego iuitaui Pharaonem per externa prodigia, quæ feci per manũ Moyſi serui mei, & per internas inspirationes, quas ille infœlix peccator sensit: sed cum repugnaret grandi misericordiæ meæ, permisi obdurari cor eius supra sili- cem, & supra durissimas petras, donec persequeretur Israel populum meum, &



submergeretur quasi plumbum in aquis vehementibus. Ego vixi Saul regē Israel, cum esset paruulus in oculis suis, & quasi puer vnius anni sequeretur me: sed postquā cœpit & perseueravit resistere multis motibus, & inspirationibus meis, proieci eum donec incumbens super gladiū suum horribiliter mortuus est. Ego tractavi tanquam hominem vnanimem, & fidelem, infœlicem Iudam discipulum meum: sed postquam restitit dulcissimis verbis, & inspirationibus meis, & obfirmavit cor suum contra me, dimisi eum, donec velut diabolus effectus, suspensus crepuit medius, & effusa sunt amaritudine plena viscera eius. Quid ergo expectas fili, qui peccasti, & recessisti à me? Quare perseueras in statu damnationis obdurans animam tuam, ne vincatur infinita dulcedine, & patientia mea? Nunquid in æternum pulsabo portam domus tuæ vt mitescat feritas tua? Reuertere fili, ad cor, neque conijcias teipsum in extremum periculū duritiæ, vt incurabilis fiat plaga tua. Nonne audisti, quia cor durum malè habebit in nouissimo, & quia peccator funibus peccatorum suorum constringitur? Caue, fili, grande malum hoc, & considera quid à te requirā. Peccator cum in  
 pro-



profundum peccatorū venerit, cōtemnit;  
sed antequā contēnat, tangitur, & moue-  
tur aliquantū interioribus inspirationib.  
bonitatis meæ. Postea verò paulatim fri-  
gescit, & minus sentit impulsus meos, do-  
nec lapideo corde insensibilis factus, ni-  
hil curat admonitiones meas, sed quasi  
equus indomitus currit per prata mundi  
festinans ad æternam flammam. Væ tibi,  
fili, nisi citò redieris ad me! Recordare  
salutis tuæ, & gloriæ meæ, quam præpa-  
raui ijs, qui veram poenitentiam agentes  
lauant stolas suas in sanguine meo. Vtere  
iam remedijs misericordiæ, ne obdureris,  
& tradaris in reprobum sensum. Si audie-  
ris me, ego liquefaciam glaciem cordis  
tui, flabitque Spiritus meus, & fluēt aque  
compunctionis, quibus abstergantur for-  
des tuæ. Amplectere hoc sanum consiliū  
Redemptoris tui parati parcere tibi, &  
mutare sortem tuam. Imprimam, si con-  
uertaris ad me, sensum contritionis, & a-  
moris visceribus tuis: & lætaberis reno-  
uatione cordis, sicut lætantur victores  
capta præda, celebrabisque regeneratio-  
nem tuam; & suavis effectus cantabis in-  
uictissimas, & super mel dulcissimas mi-  
sericordias meas.